












M. Tucker fecit




BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Dicendo dicere discunt
Scrip: d. 24 Nov: 69.

5 7 X

In magnis et voluisse sat est.
Tiboull:

Cetera quid referam miserae ludibria vitae?
Nil ea, quod placeat, nil, quod ametur, habet.
Biderm:

Φύσεως ἀρετὴν διαφθείρει ῥᾳθυμία, φαυλότητα δὲ ἐπανορθοῖ διδαχή.
Plut: de puer: educ:

163

Carmen Gratulatorium

# IN HONOREM

CLARISSIMI ET DOCTISS:
VIRI D. NICOLAI VILHADI PASTORIS
ac Canonici in celeberrimo cimbricæ Cher-
sonesi oppido Arhusia, Cum ei in inclyta
Vitebergensium Academia Laurea
magistralis decerneretur I.
Septemb. Anno
1579.

Scriptum à

GEORGIO NICOLAO
Hoffbröensi Dano:



VVITEBERGAE
Excudebat Antonius Schön.

X Helicone vocent alij Phœbum, atq; sorores
Diversis studijs numina sacra, nouem.
Quæ iunctis circùm manibus ductare choreas,
Et miscere iocis iubila læta rogent.
Vel sacros olim lusit quos Cynthius hymnos
Alternis iubeant concinuisse modis.
Nil ritu hoc nobis opus est sacrisùe prophanis,
Vt tuus his præstans vir celebretur honos.
Autorem potius rerum fontemq; bonarum,
Ardenti fas est corde rogare Deum.
Vt tibi propitius faueat, tua cœpta secundet,
Ipsiusq; tuam dirigat aura ratem.
Nam sine cœlesti nil vnquam est numine fœlix,
Sed ruit, & stabili sede manere nequit.
Ergo salutiferam nobis tu porrige dextram,
Laudi opus vt præsens seruiat omne tuæ.
Vt bene Nicoleo, quos est modò adeptus honores
Eueniant, viuo numine Christe iuua.
Tum mihi virtutis præconia iusta canenti
Te rogo, vt auxilio dexter adesse velis.
Nomina dilecti studioso pectore fratris
Et claras artes laude decente sequar.
E fragili corpus gleba mortale creatum
Vile est materiæ conditione suæ.
At qui rimatur naturæ dona, videbit
Archetypi præstans hic sapientis opus.




Cœle-

Cœlestis radios nam lucis fudit in artus,
Quos opifex mira finxerat arte Deus.
Hinc genus humanum discernit turpia rectis
Hinc vero accepto falsa valere iubet.
Eruit hinc artes, hinc sancti oracula verbi
Ad fidei normam discutit, atq; probat.
Colligit ex alijs aliud, venturaq; discit,
Dum varia præsens sorte perire videt.
Ergo velut toto radijs hyperionis orbe
Lustrato, ex illis promicat alma dies,
Plurima vel sicut viuo de fonte fluenta
Procurrunt & aquis gramina sicca fouēt:
Sic animæ, qua nos sapimus, diuina facultas
Lucis ab æterno flammula tracta patre est.
Sic fluit in tenues diuina ab origine sensus
Quo sapit & viuit quoq; mouetur homo.
Te furor abripuit, quando hoc Epicure negares
Et mentem lusit sæua Megæra tuam.
Quis locus hic atomis? quod opus producere possunt,
Quæ volui dubia corpora sorte vides?
Rectius hæc alij, quamuis in imagine picta,
Permoti sola nos ratione docent.
Nam fingunt altum penetrasse promethea cœlum,
Atq; ignem furtim surripuisse Iouj.
Eq; eius memorant cerebro natam esse Mineruam,
Quæ disciplinis præsidet vna bonis.
Scilicet ista volunt aliud mysteria vatum
Nil nisi quod nostræ est mentis origo Deus.

Ingenium solers acceptum huic esse ferendum,
Et quod nos veri cognitione beat.
Sed quid opus verbis? digna est blasphemia pœnis,
Autorem rerum quæ negat esse Deum.
Aut alia humanam deducit origine mentem,
Quam ratio & virtus illius ampla sinit.
Ergo quòd eximijs vir clare es dotibus auctus,
Materiæ non est vile fluentis opus.
Sed virtus, domino quæ dispensante sub auras
Præclaro nomen tollit honore tuum.
Principio integris à stirpe parentibus ortus,
Semina naturæ fers generosa tuæ.
Quod multum est, si tu maiorum laudibus addis
Ipse aliquid quo te nobilitare queas.
Sæpe bonos gignunt qui sunt ab origine praui
Sæpe malos possunt progenerare boni.
Nil tamen hæc illos vel auita insania lædit,
Vel contra probitas hos aliena iuuat.
Sed veluti virtus sua quemq; celebrat & ornat,
Sic vitium cuiq; est dedecus omne suum.
Hoc spectans vigilem cœpisti huc vertere curam,
Ne proprij posses laude carere boni.
Ad summos igitur quod iter deducit honores
Triuisti magna sedulitate puer,
Scilicet ingenuas venerandæ palladis artes,
Mens & consilium perdidicisse fuit.
Nam rectis chari monitis parere magistri
Extitit obstipæ non graue mentis onus.

Sed

Sed duci facilis quò te præcepta vocarent
Doctorisq; sequi iussa paratus eras.
Hinc reliqui mores quos serior extulit ætas,
Non poterant doctis displicuisse viris.
Obsequio petitur nam gratia vera modesto,
Et probitate pius conciliatur amor.
Quos neq; diuitiæ possunt, neq; forma mouere,
Virtus in leges coificit vna suas.
Ergo certatim tibi consuluisse volebant,
Nota quibus mores & tua vita fuit.
In primis patria qui tunc florebat in vrbe
PRATENSIS, nostri fama decusq; soli.
In quantum potuit iuuit, promouit, honesto
Communis statuit seruitij esse loco.
Et teneram iußit pariter formare iuuentam,
Commissam fidei quam dedit esse tuæ.
Hinc vbi te vitæ ratio studijq; monebat,
Munere defunctum iam satis esse scholæ.
Protinus Haffniaci properasti ad limina ludi,
Phœbus vbi varia cultus in arte viget.
Atq; ibi frondenti cinctus tua tempora lauro,
Palladis intrasti mystica sacra deæ.
Illa tyrocinio studiorum rite peracto,
Hic tibi quæ soluit præmia prima dedit.
Ex illo placuit peregrinas tempore terras,
Cultaq;, teutonici visere tecta soli.
Quosq; viros habeat celebrati nominis ora,
Noscere quam flauis alluit Albis aquis.

Lypsica tum primò mens arsit adire Lycea,
Audire & claros quos tenuere viros.
Qui methodo facili referent oracula prisca
Vatum, & Apostolici sensa verenda chori.
Qui sanctæ canones simul & mysteria linguæ
Qui doceant græco scripta prophana sono.
Quid Plato Socraticis voluit proponere chartis
Quidùe Stagyritæ scripta diserta senis.
Sidera qui monstrent, solis lunæq; labores
Perspicua expediant qui ratione vagos.
Hæc ibi digna viro studuisti discere docto
Non passus segnes præteryisse dies.
Non luxu madidus, non belluo fœdus, inertes
Non vnquam ad ludos ingeniosus eras.
Sed validæ flagrans placito virtutis amore
Multum operæ studijs, peruigil vsq; dabas.
Ad patrios iterum peregrinus donec ab oris
Littera præciperet certa redire lares.
Formatum primis vernantes artibus annos
Et recta veri cognitione Dei.
Nobile vbi Alburgum vitreas prospectat in vndas
Et lætas pictis nauibus auget opes.
Quam simul vt Christo duce adeptus es omine Spartam
Condecorare illam maxima cura fuit.
Vt meritis dignam laudem probitate referres,
Ciuibus & charus discipulisq; fores.
Quem Deus euentum iusto tribuisse labori,
Quæ sequitur vitæ sors ratioq; docet.

Nam

Nam quòd te iniuncto gesßisti in munere fidum
Atq; bonis operam posse placere dabas.
Optima finitimas dispersit fama per vrbes
Vnde illis isto nomine gratus eras.
Præcipuè Arbuso puerum quæ prima docendum
Te excepit patrijs officiosa focis.
Nam cum iam immites sæuirent vndiq; parcæ
Atq; darent tristi corpora multa neci.
Inq; illis etiam qui verbi semina sacri
Electum Christi spargeret ante gregem.
Te factis clarum eximijs ac ore diserto
Laurenti abripuit pestis acerba lues.
Qui populum illustrem de relligione doceres
Defuncti vita te statuere loco.
Insigni Biorno præclarus nobilitate,
Et qui de Lauro nomina præsul habet.
Quo collegarum accesßit sanctiq; senatus
Calculus, & plebis vox geminata, placet.
Ne tamen hic momi proferrent ore canino
Non virtus illum, sed fauor extulerat.
Claram accesßisti studijs celer albidos vrbem
Multa vbi sunt celebres cognitione viri.
Ac horum subiens censuram iudiciumq;
Doctrinæ es nactus præmia certa tuæ.
Nam tibi Daphnæa frontem cinxere corona
Et studijs titulum contribuere parem.
Tres & viginti quibus est honor ille dicatus
Infra te doctos constituere viros.

Supra

Supra stare duos tantum iussere magistros
    Dum studijs ferrent præmia digna tuis.
Hos ego ceu frater non insincerus honores,
    Gratulor, atq; bonum comprecor omne tibi.
Incipe nunc tristes animo deponere curas,
    Addita nam studijs gloria digna tuis.
Desperata diu voluenda en attulit vltrò,
    Vna dies longo & parta labore bona.
Sic labor & curæ viridi quas cernimus æuo,
    Muneribus redeunt postmodò quæq; suis.
Vos tanti quibus & pietas, & plurima ab vsu
    Multiplici virtus est bene nota viri.
Cui domini pariter vobiscum vinea curæ est,
    Et puræ sanctum relligionis opus.
LAVRENTI præsul multa dignissime laude,
    Docteq; POMARI, totaq; turba Dei.
Excipite hunc hilares redeuntem & honoribus auctum,
    Et læti plausus congeminate pios.
Quos Deus eximijs ornat virtutibus, illos
    A nobis merita est par quoq; laude vehi.
Sed satis: hinc patrias iterum quòd abibis in oras,
    Te sequar hoc voto dulcis amice pio.
I comitante Deo, gressus hic dirigat omnes,
    Ventus & australi cardine lenis eat.



Latina lingua homines, hebraea et graeca cognitione opus habent, ut ad exemplaria praecedentia recurrant, si quam dubitationem intulerit latinorum interpretum varietas.

Aug: de doct: Chr: II. XI.

Summa rudes asini rerum fastigia scandunt,
Maximus hoc illis tempore venit honos.

Fortuna, cum blanditur, captatum advenit, et tum maxime metuenda est.

Boet:

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare, sapienter idem,
Contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

Horat.